



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM LITTERAE DECRETALES *SI DISTRIBUERO QUIBUS BEATAE CATHARINAE MARIAE DREXEL SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR.** «Si distribuero in cibos omnes facultates meas et si tradidero corpus meum, ut glorier, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest » (1 Cor 13, 3). Caritas, vinculum perfectionis et plenitudo legis (cfr Col 3, 14; Rom 13, 10), illustravit vitam et opera beatae Catharinae Mariae Drexel, quae se consecravit in Dei laudem atque pauperum ministerium, ita ut facta sit exemplar excellens eius operosae caritatis et magnanimae voluntatis erga minus fortunatos, quae longo iam tempore sunt signa praecipua Americanorum catholicorum. Haec testis Christi amoris Philadelphiae, in Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis, ex locupletis familia orta est die XXVI mensis Novembris anno MDCCCLVIII. Quamvis mater eius praemature obiit, in familia affectum recepit et accuratam educationem humanam christianamque. A patre et a noverca, in egenos admodum profluentibus, didicit divitias cum pauperibus esse dividendas. Post patris mortem Catharina Maria magnum hereditavit patrimonium, quo usa est ad adiuvandos missionarios variaque opera caritatis, praesertim vero indigenas et Afro-americanos, qui stirpium causa patiebantur iniurias et cogebantur vivere in ignorantia, in paupertate et segregati. Dum ardentem eiusmodi operam daret, in corde suo percepit vocationem ad vitam consecratam, quae oratione, contemplatione et paenitentia sustentaretur et fidei propagandae faveret. Anno MDCCCLXXXVII, cum Romae petiisset a Summo Pontifice Leone XIII missionarios pro Americae indigenis, confestim responsum recepit ut ipsa missionalis fieret. Mox consuluit suum moderatorem spiritus, deindeque decrevit non solum divitias sed etiam vitam suam Christo donare, semet ipsa impendens in adoratione Eucharistiae et in evangelizatione indigenarum et Afro-americanorum. Ad hunc finem instituit Congregationem feminarum consecratarum quae, viventes in adoratione Iesus praesentis in Eucharistia, vim ex Ipso haurirent pro humana et christiana promotione eorum, qui vitae segreges et inferiores habebantur. Anno MDCCCXCI initium habuit opera, appellata Institutum Sororum a SS. Sacramento pro Indis et Colorata Gente, cuius Regula anno MCMXIII ultimam accepit approbationem. In sua longa vita Catharina Maria condidit centrum missionarium et circiter LX scholas pro indigenis et Afro-americanis, praesertim in regionibus occidentalibus et australibus Foederatarum Civitatum Americae Septemtrionalis, ex quibus maxime enituit schola v.d. « Xavier University » sita in urbe Novae Aureliae. Veluti fundatrix et antistita generalis fovit incrementum Congregationis suae, quae respondit gravissimae necessitati sociali et pastorali illius Nationis. Singulis annis invisebat omnes, etiam remotissimas, domus Instituti sui, cuiuscumque suscipiens sacrificia et incommoda, ubique enitens fide, spe et caritate. Sapiens moderatrix sororum, eas vitae suae sanctitate adduxit ut quaerere gloriam Dei animarumque salutem, amarent orationem et apostolicos labores, humiliter ac perseveranter christianas exercerent virtutes, evangelica consilia necnon opera spiritualis et corporalis misericordiae. Vita eius mirabilis facta est synthesis, comprehendens adorationem Eucharistiae atque totale sui suorumque donum pro Corpore Christi quod est Ecclesia (cfr Col 1, 24). Ab anno MCMXXXV valetudo eius incepit deficere. Omnino fere

immobilis facta, soluta a munere moderatricis Congregationis suae, procubuit in oratione et contemplatione Dei, et ad novissimum occursum cum Domino Iesu se praeparavit. Firma amplexus sanctitatis fama circumdata, terrestrem vitam conclusit in oppido *Cornwells Heights*, in Pennsylvania, die III mensis Martii anno MCMLV. Anno MCMLXVI incohata est apud Curiam archidioecesanam Philadelphensem beatificationis et canonizationis Causa. Deinde anno MCMLXXXVII coram Nobis promulgatum est decretum super virtutibus heroicis, et insequenti anno decretum super miraculo intercessionis eiusdem Servae Dei adscripto. Die XX mensis Novembris eodem anno decoravimus eam titulo Beatae. Aliquot post annos apud eandem Curiam Philadelphensem celebrata est canonica inquisitio de affirmata mira sanatione cuiusdam puellae, anno MCMXCIV beatae Catharinae Mariae tributa. Postquam suetae iuridicales inquisitiones felicem exitum habuerunt, promulgatum est decretum super miraculo. Favorabile excipientes votum Patrum Cardinalium et Episcoporum in Consistorio coadunatorum die X mensis Martii hoc Anno Iubilari MM, decrevimus ut sollemnis canonizationis ritus ageretur die I insequentis mensis Octobris. Hodie igitur in foro ante Patriarchalem Basilicam Vaticanam, intra Missarum sollemnia hanc formulam protulimus: Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Augustinum Zhao Rong et CXIX Socios, Mariam Iosepham a Corde Iesu Sancho de Guerra, Catharinam Drexel et Iosepham Bakhita Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Denique Nos primi novam Sanctam publice venerati sumus eiusque intercessionem ferventer impetravimus pro Catholica Ecclesia, ac praesertim pro omnibus pauperibus atque e societate segregatis. Quae decrevimus, et nunc et in posterum tempus vim sortiri volumus, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, die I mensis Octobris, anno Magni Iubilaei MM, Pontificatus Nostri altero et vicesimo.* **EGO IOANNES PAULUS** Catholicae Ecclesiae Episcopus Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 10, pp. 649-651 © Copyright 2000 - Libreria Editrice Vaticana